

Prooemium.

tendunt? an uerò concedunt hos quidem à bile flaua fieri iracundos, illos à melancholia perfidos, alios à pituita ignauos? Sed impium putat & uerentur fateri Martem augere flauam bilem, Saturnum melancholiam, Lunam pituitam. An refert postquam phanatici concesseritis mores ab humoribus immutari, dicere quod bilis fiat uel à Marte uel à pipere, uel ab aëre calido? nisi & impuro ore illo uelitis Deum in hac foeda uocare & illum etiam authorem humorum facere, refragante sensu, cum uideamus ex piperis multo usu aestatis tempore, Marte dominante, bilem maxime multiplicari. Ergo quid iam prophetæ uoluerint, satis intelligitis. Quorum tamen præceptis quantum ad mores & ceremonias per nouam legem abrogatum est, si non uultis & nos à suis abstinere & suffocatis. Multa enim illo tempore, ut Christus testatur, concessa sunt ob cordis illorum duritiam, multa uetita ob peccandi licentiam, quæ omnia, orta uera luce, extincta sunt. Si hoc modo peccatum erat in lege ueteri aduersus primum præceptum, erat ne homines stellas pro Deo uiuente adorarent. At nunc o stulti, quis stellas uelit adorare Christo relicto? Venio ad Iurisperitos, qui primum ab illa Romana seueritate originem duxerunt, qua Philosophi, qua Medici, qua Rhetores, qua Mathematici & ut uno uerbo dicam, omnia liberalia studia à Romana ciuitate arcebantur. An decet ob id etiam nunc odisse Medicos et Philosophos, quod illi oderint? At dices, lex illa de Medicis, Philosophis ac Rhetoribus abolita est, Astrologorum manet. Sed non est hæc lex de Astrologis, uerum Mathematicis. Mathematici dicebantur illi qui, ut nostro tempore, per puncta & numeros notasque diuinabant, quod genus diuinandi ut insulsum penitus est, ita impium, & abominandum, legibusque coercendum. Omne enim quod est extra publicam utilitatem & nullius usus, explodi debet atque puniri. Vis enim intelligere improbe adulator quisquis es, quod quæ damnata fuit, uera hæc Astrologia non erat? Præter id quod aliud est dicere Mathematicam, aliud Astrologiam, & quod nemini unquam prohibitum fuit per astra, Solem, Lunam, ortus & occasus siderum diuinare, ut apud Plinium constat, quod ante Ptolemæum qui tempore Antonini Pij floruit, motus Astrorum inuenti non erant: Lex uerò ipsa sancita longè prius antequam fuisset Antoninus sub Tyberio & alijs, manifestum est uel non fuisse Astrologiam damnatam, uel si omnino fuit, quod nondum inuenta esset, stolidum nunc est, ea perfecta, amplius in apertissimis cæcutire, stolidius uerò longè, pertinaciter ineptire.

HIE